

Franciscus Dandulus, cui Canis cognomen inditum diximus, in Superantii locum est suffectus. Sub cuius declarationem quum civitas mira annonæ caritate laboraret, aliquot longæ naves, & cum iis plures onerariæ, quibus Nicolaus Phalerius præfuit, in Siciliam frumentatum missæ, tantam vim tritici inde abduxere, ut paucis diebus (quod gratissimum fuit populo) fames discussa sit. Octo Genuensium triremes per id tempus duas Venetas ex Gallica negotiatione redeuntes opprefferunt: merce, quæ in navibus erat, potitus est Ligur, remiges ac socii navales (quia aut cadendum, aut certe in hostium potestatem veniendum erat) qua proximum cuique fuit, relictis triremibus, in littus abierunt. Polani & Vallenses, qui in Aquilejensis Antistitis fide aliquandiu manserant, Venetum imperium ultro receperunt. Id ille ægre ferens, ad recipienda loca subito arma comparat. Contra Veneti (ne eorum fortunam prodere viderentur, qui nuper in suam fidem rediissent) & ipsi, Justiniano Justiniani cognominis præfecto, ingentes in Histriam copias transmittunt. Hic Aquilejensis Antistes, quum cerneret se Venetis armis omnino imparem, sine ullo memorabili certamine Polam Vallemque certis conditionibus (verum quales illæ fuerint, auctores non tradunt) Veneto habendas reliquit. Sex Ligusticæ triremes cum octo Venetis, quibus Thomas Viarus ad præsidium insularum ac maritimæ oræ missus fuerat, confligunt: susus ac fugatus Venetus, quinque triremibus amissis, cum tribus quæ reliquæ erant, Venetias venit. Tulerunt eam rem indigne Patres, edoctique, Viari socordia eam cladem acceptam, in custodiam coniecere, ubi reliquum vitæ egisse dicitur. Turci interea non contenti ex tota Syria Christianos ejecisse, jam maris imperium cursibus cœperant occupare: quicquid aquarum supra Cretam ad ortum jacet circa Cyprum ac Rhodum, ita infestum reddiderant, ut nihil ferme tutum tota orientis ora navigantibus relinqueretur. Egerant Veneti cum Galliæ Rege, Joanne Romano Pontifice (qui secundus ac vicesimus fuit) annitente, ad quem hoc nomine Philip-

1328

*Franciscus Dandulus, cui Canis nomen, Superatio in Ducatu succedit.*

1329

*Bellum in Histria renatum.*

1330

*Expeditio in Turcos decreta.*